

et illud respectu Angeli est indefectibile, quia est solus Deus: sicut si fingeremus in aliquo animali esse plura corda quæ simul moverentur sine dependentia unius ab alio, sed dispartate, utrumque moveretur immediate a generante, nec posset in aliquo esse defectus, nisi in generante defectus esset. Sic dicendum est si fingeremus in Angelo vel creatura intellectuali esse plures actus, seu motus, quorum quilibet esset prima operatio, non dependens ab alia, in utraque immediate moveretur a Deo, et non posset esse defectus in illo, prout sic a Deo applicaretur. Si autem solum est una operatio prima, in qua Angelus immediate movetur a suo generante Deo, et reliqua omnia, quæ intelligit, seu operatur derivantur ex ista prima operatione, non potest intelligi quod in reliquis peccet, quamdiu operatur illa ut subordinata primæ quæ pro illo primo instanti recta est, ut pote subordinata Deo. Et quidem potest Deus non movere Angelum ad objecta supernaturalia, sed tantum ad naturalia, sed in hac denegatione supernaturalium, nullum erit peccatum, quia pura negatio est: sed si ve Deus moveat ad supernaturalia, sive ad naturalia tantum, hoc ipso quod immediate per se movet tamquam formans, et dans dictamen illius primæ operationis, non potest ibi defectus incidere, et consequenter neque in actu voluntatis in quantum ex tali motione, et dictamine derivatur.

XLVII. Denique, ad paritatem illam quæ fit inter primum, et secundum instans Angeli operantis, jam sæpe respondimus: parificari quidem ista instantia quoad intrinsicam entitatem, et defectibilitatem potentiarum, et quoad perfectiones ex parte modi, specierum, et luminis ad intelligendum, et respectu

etiam objectorum quoad bonum, et malum quæ quasi speculative intelliguntur. Non enim est dubium quod in primo instanti intelligit Angelus peccata, et vitia, sicut et virtutes, et bonum apparens, sicut et honestum speculative, et quoad quidditates istorum: solum differentia est, quod in primo instanti, seu in prima operatione non potest operari Angelus ut se movens in intelligendo, et volendo, sed ut motus a Deo, eo quod illa est prima operatio omnium, in reliquis autem instantibus potest operari non solum ut motus a Deo, sed etiam ut se movens: et ideo illa prima operatio non potest defectuose proponere, et excitare seu dictamen defectuosum formare, quod tamen reliquæ operationes possunt, nisi gratia Dei conserventur; et ideo ex ipsa natura primæ operationis, solum quia prima est, et ex motione immediata Dei proveniens, non potest deficere; licet in reliquis parificetur cum sequentibus operationibus, quæ possunt deficere.

ARTICULUS III.

Quo genere peccati, et circa quod objectum peccaverit Angelus?

In præsentis articulo non solum agimus de genere peccati, sed etiam de specie: species enim ex objecto sumitur, nec potest declarari objectum in particulari, nisi species ipsa peccati innotescat.

GENUS PECCATI ANGELI.

I. Peccati genus potest attendi primo in ratione mortalis vel venialis. Secundo, in ratione commissionis vel omissionis.

De peccato veniali constat non

fuisse solum in Angelis, sed mortaliter peccasse. Est de fide, tum ex locis quibus Scriptura explicat genus illius peccati, ejusque effectus, tum ex damnatione secuta: constat enim diabolum esse damnatum pœna æterna, Matth. xxv: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*; sed propter peccatum veniale non debetur pœna æterna: non ergo diabolus peccavit solum venialiter. Declaratur etiam hoc peccatum diaboli eo genere peccati, quod mortale peccatum significat, ut cum dicitur Joan. viii: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*; homicidium autem aut peccatum quod homicidio æquivalet, peccatum veniale non est. Et similiter peccatum ejus superbiæ fuisse Scriptura declarat, ut II ad Timoth. iii: *Ne in superbiam elevatus in iudicium incidat diaboli*: Ecclesiastici x: *Initium omnis peccati, superbia*, constat autem primum peccatum omnium fuisse peccatum diaboli. Et superbia de suo genere peccatum mortale est: superbis enim Deus resistit, et præsertim superbia diaboli, quæ fuit pessima. Denique, nomine iniquitatis peccatum Angeli nominatur Ezechielis xxviii, quo nomine non nisi peccatum mortale designatur, dicitur autem ibi de illo Angelo, qui vocatur Cherub extentus, et protegens: *Perfectus in vis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*: et de ejus superbia subditur: *Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, etc.* Quare ex omni parte constat peccatum illud mortale fuisse.

II. Statim vero offerebat illa difficultas, an habuerit Angelus peccatum aliquod veniale, licet etiam mortale habuerit, vel saltem an possit Angelus venialiter peccare? Sed hæc difficultas tractatur a D. Tho-

ma 1-2, qu. lxxxix, art. iv, et qu. vii de malo, art. ix. Et resolvit non posse, quia nunquam Angelus leviter operatur, sed incipiendo a fine, et in fine attingens media. Quare si errat voluntas, et practicus intellectus, semper errat ex fine, et si vult recte, etiam rectitudo incipit a fine; et sic in omni actu multus est Angelo, in bono magnus, et in peccato pessimus. Et in tali actu in quo est peccatum oportet quod deviatio incipiat a fine: illo enim retento, non stat circa media errare, seu in his quæ ad finem sunt, sicut nos. Quæ doctrina aliquibus aversa visa est: licet enim concedant Angelum peccare non posse venialiter ex surreptione, et indeliberatione iudicii: at peccata venialia, quæ cum perfecta deliberatione fiunt, sed ex parvitate materiæ levia sunt, ut mendacium jocosum, et similia, dicunt Angelo non repugnare, quia hæc ex sua intrinseca ratione levia sunt: ergo ex eo quod ab Angelo fiant, non reddentur mortalia: quare enim repugnabit quod Angelus habeat aliquam inadvertentiam levium sufficientem ad veniale, et non ad mortale, aut quare non poterit operari cum plena consideratione mendacium, aut aliam rem levem juxta modum, et naturam talis rei levis, et non ex superbia, vel contemptu, aut alio fine mortali? Quod si non faciat, id erit ex providentia aliqua Dei extrinseca, pro hoc statu gratiæ, in quo nec hominem in statu innocentiam, nec Angelum voluit destituere congruentibus auxiliis ad non peccandum venialiter quamdiu a charitate non excidissent. Et ita tenent plerique auctores, et videri potest a quod Vasquez 1-2, q. lxxxix, art. iv, in notatione articuli; Granados 1 p. tract. xiii, disp. i, n. viii; Alarcon tract. vi de Angelis, disp. ix, c. iii, et alii.

III. Nihilominus sententia D.

Thomæ verissima est, nempe Angelos juxta connaturalem modum suum operandi esse incapaces peccandi venialiter, ut citato loco primæ secundæ tradit, et ibi communiter ejus discipuli Cajetanus, Contradus, Medina, et alii. Et ratio supra judicata id sufficienter probat, quia Angeli nunquam operantur voluntarie, et deliberate, sive bene, sive male, nisi incipiendo a fine, sicut neque intelligunt nisi incipiendo a principiis, et in his videndo conclusiones sine discursu, quia proprium est eorum procedere comprehensive, et in ipsis principiis attingere quidquid ad illa spectat, et in eis continetur. Similiter voluntas in ipso fine eligit media, et non procedit ad media, nisi sub aliquo fine, et in fine, ita quod idem actus est necessarius quoad specificacionem ex parte finis, et liber ex parte mediorum cum primum eligit, licet in exercitio quoad utrumque liber sit. Cum ergo deordinatio peccati venialis, sive ex parvitate materiæ, sive ex indeliberatione rationis, non sit deordinatio circa finem, oportet quod Angelus operetur circa illud ex alio priori fine, in quo talia venialia velit. Et quidem si finis sit bonus, et recte volitus ab Angelo, cum eodem actu, et impetu, quo fertur in finem, feratur in media, non potest tendere in finem bene, et sine defectu, id est, sine deordinatione a fine, et in media tendere deordinate, quia sic separaret motum in ipsa media a motu in finem, quod solum in nobis contingit. Ergo oportet quod si deordinate tendit in aliqua media, seu in aliquam parvitatem materiæ, quæ solum pertinet ad malitiam mediorum, tendet in illa, ut deordinata in vi alicujus finis, et in eo contenta, in cujus volitione sunt volita, et non seorsim, ac separatim a fine. Ergo omni parvæ materiæ volitæ ab Angelo sem-

per adjungitur granditas alicujus finis, quia parvitas materiæ semper pertinet ad media, nunquam ad finem, quia finis nunquam est parvus, cum sit principium quo etiam magna diriguntur. Tam impossibile igitur est Angelo peccare venialiter in aliquo actu, sicut separatim a fine attingere media, et conclusiones extra principia, et solum illa natura quæ alio actu attingit finem, alio media potest retenta rectificatione circa finem saltem habituali, errare in applicatione, et tendentia erga media præter finem, licet non contra finem; et sic peccare venialiter, et non mortaliter, quod est idem ac peccare, seu aberrare a mediis, non errando a fine. At vero illa natura quæ non potest tendere in media nisi per eundem actum quo tendit in finem, nunquam deordinatur a mediis, neque parvitatem materiæ attingit, nisi incipiendo deordinationem a fine, atque adeo adjungendo illi circumstantiam mortalem deordinationis a fine, seu contemptum, ratione cujus parvitas illa materiæ, v. g. mendacium quod ex se veniale est, seorsum a fine consideratum, ex pravo fine, et in ejus deordinatione volitum, non parvum est. Et hoc ita convenit Angelo, non solum ratione status damnationis, in quo nunc operatur semper ex odio, et contemptu Dei, sed ex natura sua, quia ex ipsa postulat operari circa media, non seorsum a fine, sed eodem actu, eadem ordinatione qua fertur in finem. Unde sicut quando operantur ex charitate, in ipso fine amato amant media, v. g. in Deo omnes proximos, ita quando operantur circa aliquod malum medium, operantur ex præsupposito fine malo; et sic adhuc in pura natura si operantur ex fine bono, et recta ejus intentione, ibi non compatiuntur alicujus mali medii, etiam ex parvita-

te materiæ, deordinationem. Si vero aliquam deordinationem patiuntur, illa incipit a malo fine.

IV. Unde solvitur oppositum fundamentum. Respondemus enim quod licet aliqua peccata sint ex natura sua, et materia propria levia, tamen quia Angelus suo connaturali modo operans, non potest illa attingere nisi sub aliquo fine in quo sint volita, et eodem actu quo ipse finis, sicut neque conclusiones, nisi in principiis, ideo illi parvitate materiæ semper adjungit pondus grave circumstantiæ finis, extra quam, vel sine qua non potest parvitatem illam velle, neque ex levi advertentia operari circa media, et circa parvam materiam (quæ semper ad media pertinet) non operando circa finem, nec incipiendo deordinationem a fine quæ semper gravis est. Levem autem advertentiam habere non competit Angelo, qui non imperfecte procedit, sed comprehensive. Ipsam etiam materiam parvam, si acciperet non pro medio, sed pro fine multo esset gravior, quia poneret finem in re creata, et tam parva. Non mutat ergo Angelus parvam materiam in mendacio, v. g. sed accumulatur pravam finem, ante cujus deordinationem, malum medium volitum non est.

V. Dico secundo: Genus peccati Angeli primum non potuit esse peccatum omissionis, sed commissionis. Probatur ex dictis, quia primum peccatum Angeli incipit in eo ex aliquo motivo circa finem, sed primum motivum, et finis Angeli non potuit esse ommissio: ergo primum peccatum Angeli non potuit esse omissionis, sed commissionis. Major constat ex ipso connaturali modo Angeli in operando, scilicet ex fine, et in fine attingendo media, sicut conclusiones non potest attingere nisi in principiis, quia comprehensive procedit: ergo debuit

Angelus primum peccatum inchoare ex aliquo motivo circa finem, si quidem voluntas in modo operandi semper proportionatur modo operandi intellectus. Unde sicut intellectus propter vim comprehensivam semper incipit a principiis, et in principiis conclusiones intelligit, sic voluntas a fine, et in fine tangit media. Minor probatur, quia ommissio illa non potuit esse peccatum, nisi esset voluntaria, vel in se volendo illam, vel in aliqua causa, vel occasione, ratione cujus esset incompossibilis adimpletio præcepti cum tali volitione, alioquin ommissio illa culpabilis non esset, si voluntaria non esset. Si illa ommissio sit voluntaria tamquam directe volita, oportet quod hoc ipso involvatur ibi aliquod peccatum commissionis, quia qui vult directe et per se omissionem contra præceptum, hoc ipso in tali omissione representatur aliquid majoris boni, vincens illud bonum, quod est in adimpletione præcepti divini: ommissio enim ut ommissio cum sit privatio, et non ens, non potest ratione sui esse volita directe, sed ut vestitur aliquo bono, saltem apparenti. Et si est ommissio præcepta, oportet ut representetur aliquod bonum, non quomodocumque, sed vincens illud bonum quod ex adimpletione talis præcepti consurgit, ut possit moveri quis ad frangendum præceptum directe: ergo prius debet affici voluntas illi bono, quo vestitur ommissio, ut ex ejus appetitu non recuset frangere præceptum; et sic directa volitio omittendi semper importat aliquam commissionem, vel præsuppositivam, vel concomitanter qua afficiatur taliter erga aliquod bonum, seu objectum ut ratione ejus non recuset velle omissionem, quæ in se non est aliquid neque bonum, et habet adjunctam fractionem præcepti affirmativi, quia omnis privatio, seu

negatio in aliquo bono, seu positivo fundatur. Si vero omissio non sit directe volita in se, et ut objectum, sed indirecte ex eo quod est aliquid prius volitum, cum quo non compatitur adimpletio præcepti, jam illud prius volitum pertinebit ad actum positivum volendi, et non solum omittendi, et ex alia parte est peccatum, qui est impeditivum adimpletionis præcepti, et causa omissionis: ergo necessario incipit primum peccatum Angeli ab aliquo motivo culpabiliter volito, et non omisso; et sic tale peccatum est commissionis.

VI. Sed quia posset aliquis dicere, quod licet verum sit quod tale bonum prius volitum est quidem culpabiliter volitum, sed non habet aliam culpam quam culpam omissionis, quia inde sumit totam malitiam; et sic formaliter est peccatum omissionis, licet materialiter habeat adjunctum aliquid commissionis quod vitiatur ex omissione, quæ ex tali volitione sequitur, et adimpletio præcepti impeditur.

Contra hoc instauratur argumentum, et confirmatur ratio adducta, quia hoc in primo peccati Angeli locum non habet, sed necessario illa omissio, sive indirecte volita ex aliquo priori præsupposito ex quo habet sequi, sive directe volitiva, ut vestita aliquo bono apparenti, semper debet præsupponere aliquod peccatum commissionis præcessisse: etenim illa omissio ut sit peccatum, debet esse in præcepto, et esse voluntaria, ut supponimus: Angelus autem non potest aliquid velle, nisi in aliquo fine, ut sæpe dictum est, quia naturalis modus ejus est videre in principiis conclusiones, et velle media in fine. Ergo vel ipsa omissio est finis quem sibi Angelus proponit, vel in aliquo fine est volita tamquam medium, vel conditio medii, aut denique ut ali-

quid subordinatum fini. Si ipsa omissio est finis, præterquam quod est impossibile, cum omissio in se solum sit privatio, et nihil, nec bonitatem habeat, etiam in hoc maxime peccatum commissionis est quod vult facere ipsam omissionem culpabilem finem ultimum cum in se nihil bonitatis habeat: et præsertim, quia si vult illam habere pro fine ultimo, est peccatum commissionis omnino præposterum, et contra præceptum negativum non solum affirmativum, si quidem non solum vult frangere præceptum impositum, quæ est omissio, utpote contra præceptum affirmativum, sed etiam vult in ipsa omissione finem ultimum ponere, quod est contra præceptum negativum, et est commissio. Nec potest imaginari quod aliquis nisi insanus velit omissionem ipsam facere finem ultimum, ut est privatio, in se, sed seipsum constituit finem ultimum, nimis se amando, et exinde volendo omittere seu frangere præceptum. Quod si omissionem vult, non ut finem ultimum, sed ut subordinatum alteri ultimo, aut tamquam medium, vel conditionem fini illi subordinatum: ergo jam supponit illa omissio finem aliquem ultimum prius volitum, et non finem ultimum bonum, qui est Deus, si quidem sub tali fine non potest subordinari omissio peccaminosa: ergo supponit finem ultimum malum, seu aversum a Deo antecederet ad omissionem, et in illo fine, seu eodem actu, et impetu vult omissionem. Ergo peccatum Angeli non incipit ab omissione, sed ab aliquo ultimo fine, quem contra Deum appetit, et in tali volitione peccat, non omittendo, sed committendo, seu positive appetendo, et contra præceptum negativum non diligendi aliquid ut ultimum finem præter Deum. Nec obstat quod de ipsomet

Deo amando datur præceptum affirmativum, et hoc potest Angelus frangere: dicimus enim posse quidem frangere tale præceptum, sed ex aliquo priori motivo quo velit aliquid finem, et volendo illum, omittat converti ad Deum finem ultimum: omissio enim aversionis ab aliquo fine non potest appeti per se primo, nisi ex conversione ad aliquid finem, sicut nec recedere a termino a quo, nisi convertendo se ad terminum ad quem; nec potest voluntas pure se suspendere per negationem omnis actus, etiam antecedentis, et qui sit causa, vel occasio illius omissionis, quia talis suspensio (si esset dabilis) esset pure suspensio physica, et non moralis, quia nec voluntaria, utpote non procedens ab ipsa voluntate aliquo modo, ut latius dicitur 1-2, quæstione sexta.

VII. Dices: Potuit Angelus in primo instanti, seu in primo actu peccare contra præceptum affirmativum: ergo peccato omissionis. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia in primo instanti fuit præceptum in Angelo convertendi se ad Deum, et erat liber ad eliciendum, vel non eliciendum, et saltem pro secundo instanti erat liber libertate etiam contrarietatis, ita quod poterat peccare: ergo per hoc solum quod suspenderet actum amandi peccaret: poterat ergo in illo primo peccato incipere ab omissione, quia tam liber erat ad velle, quam ad nolle, etiam contrarie. Quis ergo prohibebat tunc non velle, et incipere a suspensione actus, et hoc erat peccare? Item quia in illa omissione erat peccatum mortale: ergo erat aversio a fine ultimo, et conversio ad finem pravum: ergo poterat incipere a tali aversione, et a fractione illius præcepti affirmativi nolendo ei obedire ex contemptu Dei, et omittendo ejus præcepta. Et

licet vellet omissionem istam ex alio fine, tamen cum non interveniret ibi alia malitia quam omissionis, neque dicitur ibi peccare peccato commissionis, sed omissionis, sicut qui vult propter ludum missam omittere, non peccat peccato commissionis in ludendo, sed omissionis in non audiendo sacrum.

Respondetur ad primum non potuisse Angelum peccare in primo peccato, ex motivo omissionis, sed ex motivo commissionis, et sic antecedere debuisset peccatum commissionis: licet enim curreret præceptum affirmativum convertendi se in Deum, tamen ista omissio non erat appetibilis ab Angelo, nisi in aliquo fine, in quo primo avertetur a Deo, eo quod in bono fine, et recte ordinato non poterat Angelus velle omissionem culpabilem, quia illa non erat referibilis in talem finem, neque illi subordinabilis: ergo sub aliquo fine averso deberet appeti, et illa conversio ad talem finem antecedens omissionem jam erat mala, et non erat omissio, sed commissio, quia positivo actu volita, et ut quoddam appetibile. Homo autem non eodem actu vult finem, et id quod sub fine continetur; et sic potest velle omissionem seorsum sine commissione, licet habeat aliquid actum, qui sit causa, et occasio illius, ut moraliter voluntaria sit. Et poterat Angelus velle, vel nolle, distinguo; nolle moraliter, et voluntarie ex præsuppositione aliqujus finis, transeat; sine tali fine, nego, eo quod modus connaturalis in Angelo est velle, vel nolle media sub aliquo fine, et eo actu quo vult, vel non vult finem: omittere autem finem bonum pura omissione, et nullum alium finem appetendo, sed ab omni actu cessando in exercitio, non est connaturale Angelo, imo neque homini, quia non est connaturale voluntati, et fortasse im-